Maass, Ernst
Parerga Attica

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCLXXXIX—MDCCCXC

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

INSVNT

ERNESTI MAASS PARERGA ATTICA.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS IVLII ABEL
MDCCCLXXXIX.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

HVGO SCHVLZ

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Nobilissimus locus est Pausaniae in Periegesi Graeciae cum arcam a Cypselidis Olympiae dicatam describens in quarta area AETHRAM HELENAM DIOSCUROS pictos fuisse enarrat. Ibi igitur haec dicit V 19, 2 sqq.:

> *εἰσὶ δὲ ἐπὶ τῇ λάρνακι Διόσκουροι, ὁ ἕτερος οὐκ ἔχων πω γένεια, μέση δὲ αὐτῶν Ἑλένη. Αἴθρα δὲ ἡ Πιτθέως ὑπὸ τῆς Ἑλένης τοῖς ποσὶν ἐς ἔδαφος καταβεβλημένη μέλαιναν ἔχουσά ἐστιν ἐσθῆτα. ἐπίγραμμα δὲ ἐπ' αὐτοῖς ἔπος τε ἑξάμετρον καὶ ὀνόματός ἐστιν ἑνὸς ἐπὶ τῷ ἑξαμέτρῳ προσθήκη·*
>
> *Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον, Αἴθραν δ' ἕλκετον, Ἀθάναθεν.*

Quibus quid ad renovandam picturae speciem conferatur quamvis non sine fructu iterata disputatione tractari possit, omittimus, sed fabulae naturam et originem consueto more indagantes curandum esse intellegimus, ut inscriptionem modo adpositam doctisque parum perspectam et multifariam attemptatam quadamtenus declaremus et ad historiam fabularem si possumus ea utamur rectius quam adhuc factum esse nobis persuasimus. Ac moratur iure criticos, quod, cum ceteroquin verba huic cistae inscripta certis versibus inclusa sint, hunc titulum nec metricis legibus nec prosodiacis coerceri constat. Alterum ipse agnovit Pausanias, quippe qui de voce *Ἀθάναθεν* post finitum versum addita loquatur, praetervidisse tamen alterum videtur, siquidem integrum exstare voluit hexametrum nec laboravit quidquam de exitu, quo heroici versus indoles funditus evertitur, sive *ἕλκετον* ex codicibus seu *ἑλκεῖτον* reponis. Ergo recentiores depravatae tituli orationi succurrentes Theodori Bergkii, ingeniosi hominis at non accurati, suspicionem consensu suo probaverunt qui pro Atheniensium urbis memoria *Ἀφίδναθεν* scribi iussit. Respondemus ne ita quidem inducta correptione ante

δυ quam vocant Attica huius versus bonitati provisum esse. Accedit quod Athenarum in hoc conexu commemoratio num admitti forte et explicari ex certa fabulae sententia posset quaerere distulerunt omnes et adeo negando fortiter more abominato conficere non intellecta maluerunt. 'Non nego', inquit Bergkius PLG[4] III p. 19, 'ita (Ἀθάναθεν) scriptum fuisse in arca, quamquam Ἀθάναθεν fortasse ipsius Pausaniae vel eius librariorum error est, at poeta scripserat

Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον, Αἴθραν δ' Ἀφίδναθεν

quae artifex addito verbo ἕλκετον interpolavit'. Bergkii audaciam ex quo auctoritate sua Robertus adiuvit et dixit nuper (Herm. 1888 p. 436) nullo modo Athenarum nomen in tam vetusto monumento Peloponnesiaco posse tolerari: tota de hac fabula materia denuo erat pervestiganda. Unde quae necessaria videantur omnia delibabimus: copiosius enim quam opus per se esset in re me iudice manifesta iam nobis disserendum esse reiecta primum ut par est Bergkii opinatione intellegimus. Nam cum Ἀφίδναθεν illud ambiguum sit ad Atticam an ad Laconicam urbem spectet, propter Dioscuros et Helenam Spartanos de urbe Laconica cogitans novam Robertus et inauditam neque ullo nomine probabilem fabulae versionem de suo ipse procreavit. Exstitisse in Laconia Aphidnam Leucippidarum patriam Stephanus Byzantius s. v. testatur, tamen num coniuncta haec urbs cum Helena ullo vinculo fuerit prorsus celamur. Vel hoc momento novae fabulae diffidendum est. Adiungimus alterum. Fingamus parumper (etsi nullo testimonio stabilitur nec commendatur a probabilitate) in regionem Peloponnesiacam Helenam esse raptam: quis rapuisset nisi Theseus, et quo nisi in suam arcem rapuisset? Itaque Theseus (qui Atticus est vel Troezenius) Aphidnae fingendus esset in ipsa hostium terra sedem conlocasse! Serio rem incredibilem et ineptam quis amplius tutabitur? Denique non modo Theseus verum vel Aethra in eandem Laconicam urbem ipsis iam tituli verbis relegaretur, quam et Troezeniam natione fuisse et ex Attica a Dioscuris cum Helena Spartam deductam fere consentiunt; unus excipiendus Apollonii scholiasta (ad I 100), qui Attico Helenae latibulo Troezenem substituit:

ἐπεστράτευσαν δὲ κατὰ τῆς Τροιζῆνος οἱ Διόσκουροι διὰ τὴν ἀδελφὴν Θησέως ὄντος ἐν Ἅιδου καὶ πορθήσαντες ἔλαβον αἰχμάλωτον Αἴθραν τὴν Θησέως μητέρα.

Nos coniecturam qua tantae nascuntur difficultates, etiamsi unum aliquod vitium emendaretur, repudiandam censeremus. Jam vero ullum mendum tolli praefacte negamus, quoniam vitiosi quid tandem in re ipsa insideat frusta dispeximus. Raptam puellam Athenis sua in urbe apud matrem occuluisse Theseum, Athenis expugnatis reduxisse fratres simul cum Aethra captiva, quid hoc vel miri habet vel adeo perversi? Dixerit cum Roberto (p. 438) quispiam, id ipsum esse mendosum quod in Cypselidarum cista fabula origine Attica depicta esset. Quem breviter interrogaremus, unde tandem compertum esset Atticam fuisse et non Laconicam hanc fabulae conformationem. An male et cum sua ignominia septimi saeculi Lacedaemonii captum a Dioscuris Spartanis

esse caput Atticae et ipsam terram devastatam rettulissent? Qui si de se praedicassent tale quid, obscurata quidem verum minime sublata veritate Atheniensium laudi invidissent: quo de inferius videbimus. His refutatis simul etiam coniecturae auctorem convicimus Bergkium, qui Aphidnam urbem in cista a se novatam Atticam esse voluit, Thesea fabula nobilissimam. Quodsi adsumpta nota quadam narratione laudem Bergkius meruit, illud amplius improbamus, quod in hoc monumento sive Corinthio seu certe Peloponnesiaco eodemque pervetusto Atticam ab ipsis Atticis traditam fabellam expressam esse contendit. Nam de Dioscurorum expeditione ad recuperandam Helenam instituta quid Aphidnaei Attici narraverint, Hellanicus (fr. 74 apud schol. Ven. A ad Il. *Γ* 144) et Herodotus (IX 73) tempore belli Peloponnesiaci ex eorum ore uterque susceperunt. Herodoti verba adscribimus IX 73[1]):

> . . . *λέγουσι* (scil. *οἱ Ἀθηναῖοι*) *τοὺς Δεκελέας, οἳ δὲ αὐτὸν Δέκελον ἀχθόμενόν τε τῇ Θησέος ὕβρι καὶ δειμαίνοντα περὶ πάσῃ τῇ Ἀθηναίων χώρῃ ἐξηγησάμενόν σφι τὸ πᾶν πρῆγμα κατηγήσασθαι ἐπὶ τὰς Ἀφίδνας, τὰς δὴ Τιτακὸς ἐὼν αὐτόχθων καταπροδιδοῖ Τυνδαρίδῃσιν.*

Ereptam nimirum sibi a Dioscuris fratribus Helenam ita Aphidnaei excusabant, ut proditum a Decelensium et Titacidarum gentibus[2]) latibulum virginis dictitarent, absente tamen Theseo, ut addimus ex Hellanico. Et patet ex Herodoti relatione quantum huic Atticae fabulae ipsi tribuerint Lacedaemonii, quippe qui vel parci Deceleae (et fortasse Titacidis quoque) per bellum Archidamicum iusserint:

> *τοῖσι δὲ Δεκελεῦσιν ἐν Σπάρτῃ ἀπο τούτου τοῦ ἔργου ἀτέλειά τε καὶ προεδρίη διατελεῖ ἐς τόδε ἀεὶ ἔτι ἐοῦσα, οὕτω ὥστε καὶ ἐς τὸν πόλεμον τὸν ὕστερον πολλοῖσι ἔτεσι τούτων γενόμενον Ἀθηναίοισί τε καὶ Πελοποννησίοισι σινομένων τὴν ἄλλην Ἀττικὴν Λακεδαιμονίων Δεκελείης ἀποσχέσθαι.*

Ac sponte (ut praedixi) intellegitur pro arce Aphidnensi posse terrae Atticae caput a Lacedaemoniis ira et studio exaggerando substitutum esse, ut factum esse in cistae titulo adparuit. Quae cum ita sint, Atticam de Helena recuperata narrationem monumento Peloponnesiaco offerri in tanta rerum Atticarum saeculo a. Chr. septimo penuria et parvitate non modo abhorret admodum ab omni probabilitate (de qua re G. Loeschkei de Borea et Orithyia in eadem arca repraesentatis commentatio adeatur Dorpati 1888 emissa) sed illam Laconicam vel Peloponnesiacam certissimi coniectamus. Eximie laetamur, quod antiquissimam fere Athenarum urbis mentionem titulo cistae servatam a falsa fraudis suspicione vindicavimus.

Pauca addimus, ut correctis quibusdam aliorum erratis ad dolandam fabulae materiam haec Parerga aliquid etiam conduxisse iudicentur. Proficiscimur a Pausaniae

1) Plutarchus (Thes. 32) ex parte idem refert, nisi quod Academum Aphidnam prodidisse dicit. Stephanus Byzantius (s. v. *Ἐκαδήμεια*) Echemum Tegeatam Dioscurorum socium totam Atticam subegisse rettulit, unde Academiam male denominari.

2) Cf. Toepffer, Attische Genealogie p. 289 sqq.

Megaricis. I 41,4 igitur utraque narrationis forma, cum de Timalco Megarensi Thesei adversario agit, a scriptore ita proponitur:

> *τὸν δὲ πρεσβύτερον τῶν παίδων αὐτῷ* (Megareo) *Τίμαλκον ἔτι πρότερον ἀποθανεῖν ὑπὸ Θησέως στρατεύοντα ἐς Ἄφιδναν σὺν τοῖς Διοσκούροις* (scil. dicunt Megarenses) . . . *Μεγαρέως δὲ Τίμαλκον παῖδα τίς μὲν ἐς Ἄφιδναν ἐλθεῖν μετὰ τῶν Διοσκούρων ἔγραψεν; πῶς δ' ἂν ἀφικόμενος ἀναιρεθῆναι νομίζοιτο ὑπὸ Θησέως, ὅπου καὶ Ἀλκμὰν* (fr. 13 B.) *ποιήσας ᾆσμα ἐς τοὺς Διοσκούρους, ὡς Ἀθήνας ἕλοιεν καὶ τὴν Θησέως ἀγάγοιεν μητέρα αἰχμάλωτον, ὅμως Θησέα φησὶν αὐτὸν ἀπεῖναι*[1]; *Πίνδαρος δὲ* (fr. 258 B.) *τούτοις τε κατὰ ταὐτὰ ἐποίησε καὶ γαμβρὸν τοῖς Διοσκούροις Θησέα εἶναι [βουλόμενος]*[2], *ἐς ὃ ἀπελθεῖν αὐτὸν Πειρίθῳ τὸν λεγόμενον γάμον συμπράξοντα.*

[1]) corrupisse Alcmanis relationem Pausanias Roberto sine causa p. 439 sq. videtur.
[2]) *βουλομένοις* male C. Fr. Hermannus, *βουλόμενον* post Calderinum editores.

Concordant cum cistae titulo Alcman Laco et Pindarus Thebanus, fabularum Peloponnesiacarum peritissimus, absente Theseo Athenis reductam esse a Dioscuris cum Aethra Helenam. Poetis Pausanias Megarensium narrationem opposuit, qui eatenus cum Attica fabula faciebant, ut Aphidnae et non Athenis pugnatum esse traderent, at praesente Theseo.

Vix impeditius de scholio Iliadis *Γ* 242 iudicari existimamus. Ad Helenae enim verba inter Achaeos frustra fratres quaerentis haec in codicibus Ven. A et Mureti (M) et in Aldina etiam (quam interpolati libri vice fungi exposui in Townleyani mei editione I p. XXXII) adnotantur:

> *Ἑλένη ἁρπασθεῖσα*[1]) *ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, ἀγνοοῦσα τὸ συμβεβηκὸς μεταξὺ τοῖς ἀδελφοῖς Διοσκούροις κακόν, ὑπολαμβάνει, δι' αἰσχύνην*[2]) *αὐτῆς μὴ πεπορεῦσθαι*[3]) *τούτους εἰς Ἴλιον, ἐπειδὴ πρότερον*[4]) *ὑπὸ Θησέως ἡρπάσθη, καθὼς προείρηται· διὰ γὰρ τὴν τότε γενομένην ἁρπαγὴν Ἄφιδνα*[5]) *πόλις Ἀττικῆς πορθεῖται, καὶ τιτρώσκεται Κάστωρ ὑπὸ Φίδνου*[6]) *τοῦ τότε βασιλέως κατὰ τὸν δεξιὸν μηρόν. οἱ δὲ Διόσκουροι Θησέως μὴ τυχόντες λαφυραγωγοῦσι τὰς Ἀθήνας.*[7]) *ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς Πολεμωνίοις* (fr. X Pr.)[8]) *ἢ τοῖς*[9]) *Κυκλικοῖς, καὶ ἀπὸ μέρους παρὰ Ἀλκμᾶνι τῷ λυρικῷ* (fr. 13).

[1]) *ἁρπαγεῖσα* Aldina. [2]) *αἰσχύνην* M : *αἰσχήνην* Aldina, *αἰσχύνης* A. [3]) *πορευθῆναι* Aldina. [4]) *προτέρως* A. [5]) *Ἄφυδνα* Aldina. [6]) *Φίδνου* A M : *Ἀφύδνου* Aldina, hinc *Ἀφίδνου* Bekkerus. [7]) *Ἀθήνας* A M : *Ἀφύδνας* Aldina, hinc *Ἀφίδνας* Bekkerus. [8]) *παρὰ Πολέμωνι* coni. recte fortasse Prellerus, probante propter Pausaniae consimilem relationem I 41,4 (supra exscriptam) Roberto p. 439. [9]) *ἢ τοῖς* A M firmatum a Prellero p. 16 : *ἤτοι* Aldina.

Polemonii illi qui sint sincere fatemur nos ignorare. Verum quod Alcmanem ex parte eadem narravisse subscriptum est, hoc iis quae modo disputavimus egregie stabilitur. Ut enim Alcman ita inferiore particula scholiographus captas a fratribus

Athenas dixit, ut tamen ne Aphidnae quidem expugnatae memoriam omitteret: ergo diversas formas fabulae quas novimus contaminavit[1]).

Phidnus rex Aphidnae in scholio Homerico modo adposito is est qui Castorem vulnere affecit. Recte enim ***Φίδνου*** ex codicibus AM restitui ab editoribus spretum nec curavi Aldinam interpolationem *Ἀφίδνου*. Exemplis a me Herm. 1888 p. 613 sqq. conlectis bene accidit quod adiungere nunc et Atticum hunc eponymum possum et alia non inutilia. Pteras ab Apteraeis denominatur (Paus. X 5, 10), Lycus Isthmius ni fallor idem atque Alycus Megarensis (Plut. Thes. 32), *Παισός-Ἀπαισός* (Steph. s. v. *Ἀπ.*) *Θύμβρος-Ἄθυμβρος* (Et. M. s. v. *Ἄκαρα*) *Κιδαλία-Ἀκιδαλία* (cf. Bergkii notam ad Pindari fr. 244) *Τάρνα-Ἄταρνα* (Steph. s. v. *Ἀπαισός*) *Μαζαῖον-Ἀμαζόνειον* (Steph. s. v. *Ἀμ.*). Alia multa in praeclara de prosthesi et aphaeresi commentatione (Pathologiae Graeci sermonis elem. I p. 1 sqq.) Lobeckius congessit. A concessis igitur ad nova procedentes breviter primum de Cantho dicemus ad Atticas fabulas statim redituri. Canthum Apollonius I 77 et Cleo Curiensis a scholiasta exscriptus in Argonautarum indice enumerant Canethi Abantiadae filium Cerintho Euboeae oriundum. Etiam Abas avus, *ἀφ' οὗ οἱ Εὐβοιεῖς Ἄβαντες* monente scholio, et mons prope Chalcidem Canethus (Strab. X 447) Euboeam patriam indicant. At Acanthus urbs in Chalcidica paeninsula sita est; inde Acanthus urbis eponymus desumptus (Stephan. Byz. s. v.), cui nomini ex more decurtato Canthus respondet. Ergo consueto coloniarum studio Canthus cum ad Chalcidicam pertineret, ex ipsa metropoli derivatus est. Patriam enim Acanthiorum Euboeam, etsi Andrum insulam Strabo (p. 330 fr. 31) dixit, certo censebimus, non quod Andrus ab Eretriensibus Euboeae per aliquod tempus possideretur (Strab. X p. 448), sed quod de origine et imperio harum coloniarum coniecturam vel ex Chalcidicae nomine capere licet. Et quod hac via novi effecimus, Canthum Argonautam esse Acanthiorum, ad pernoscendas historiae Argonauticae causas momentum faciet. Qua notitia utantur qui tandem aliquando hanc desertam et a novissimis fabulae interpretibus adeo vastatam provinciam coluerint. Similia Herm. 1888 p. 621 proposui.

Transimus ad Athamantem. Athamas a Choerobosco (Dictat. in Theodosii Canones I p. 37, 20 Gaisf.) *Θάμας, Τάμμης* Jonice a Callimacho (fr. Aetiorum 21ª = schol. Ven. A ad Jl. I 193) dicitur geminata consona media, ut *Τέννης* ex *Τένεδος* (schol. ABT ad Jl. A 38), ex formis plenioribus *Σθέννις* contrahitur, alia; cum tenui pro aspirata incipienti supposita conferantur *Πανοπεύς-Φανοτεύς*[2]) ex Strabone IX 423 et Stephano s. v. noti. Apud Jones, velut Teios, etiam Athamas ea de causa reperitur,

[1]) Contaminavit diversa Plutarchus quoque Thes. 32.

[2]) In his exemplis vel tenues *π* et *τ* permutantur, ut in *Πενθεύς* et *Τενθεύς* (Phot. s. v.) *Κάλως* et *Τάλως* (Pausan. I 21,6 Apollod. III 15,9) *Καλαός* et *Ταλαός* (schol. Oed. Col. 1320). *Σκῶλος* et *Στῶλος Πίτρης* et *Πίγρης* variari Boeckhius in Ath. Oec. II³ p. 485 et 487 commemoravit. Fortasse etiam *Θέστωρ* Calchantis pater et *Θέσπιος* Thespiae eponymus componendi (cf. Herm. l. c. p. 619) et Teleon Eteobutadarum gentis auctor, de quo incertum se dubitare dixit Toepfferus (Attische Genealogie p. 112), tribui vetustae Geleontum adsignandus, ut Hoples quoque invenitur Hopletum eponymus (Apollod. III 15, 6).

quod Jonicarum urbium colonis Minyae Thessaliae Boeotiaeque immixti erant. Documento cum cetera est Argonautarum memoria tum ERGINUS Orchomeniorum rex Miletum translatus: de quo quod rectissime dudum Buttmannus mythologus venerabilis iudicavit, turpiter hodie et cum litterarum detrimento nescitur (Mythol. II p. 208). Fugit hoc unum felicissimam Buttmanni sagacitatem, Erginum vel nomine ipso ad Erchomenum Minyeam revocari: *Ἐργ-ῖνος* pro **Ἐρχ-ῖνος* vel **Ἑργ-ῖνος* est, ut *Τελχῖνες-Θελγῖνες* (Hesych. s. v.) *Κάλχας-Χάλκας* (Eust. in Il. p. 289, 38) *Τιλφῶττα-Θέλπουσα* iuxta ponuntur. Sed de hoc hactenus. Athamantem Minyeum, de quo verba facimus, per prosapiam suam in Atticas quoque fabulas irrepsisse certissime probari potest. Herodorus enim Heracleensis (schol. Apollon. II 1144 ~ Apollod. I 9,2) Athamantis ex Themistus filios recenset Schoeneum Erythrium (vel potius Erythrum) Leuconem Ptoum, in quorum nominibus locos Boeoticos persentimus: Erythrae huius regionis urbs, Ptoon mons, Leuconis lacus vulgo Copais dicta, Schoenus amnis. Nonnus autem (IX 312—321) in eodem huius generis recensu cum ceteroquin cum Herodoro conspiret, pro uno Erythro Porphyrionem exhibet. Ergo accinente etiam nominum sententia eundem esse Erythrum et Porphyrionem Lehrsius (Aristarch.[3] p. 243) ingeniosius quam verius non satis re examinata conclusit. Etenim scholion D ad B 499 (p. 81^{b} 43 Bekk.) de Erythris Boeotiae et Joniae oppidis ita exponit:

> *ὠνομάσθησαν δὲ ἤτοι ἀπὸ Ἐρύθρου τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Ἀμφιμεδούσης τῆς Δαναοῦ, ἢ ὥς ἕτεροι ἀπὸ Ἐρύθρας τῆς Πορφυρίωνος τοῦ Σισύφου* (Athamantis fratris).

Cuius narratio scholio Apollonii III 1194 bene suppletur, ubi Halmus Porphyrionis frater ab urbe Halmo Boeotiae hic quoque derivatus adparet. Sunt igitur Erythrae in fine Atticae sitae cum memoria Porphyrionis et Athamantis non sine causa conexae nec confundenda illa Porphyrionis et Erythri stemmata inter se esse sed discernenda facile patet. Jam qui nonnullos etiam alios heroes Minyeos in fabulari Atticorum historia inesse consideraverit, hunc de quo diximus Porphyrionem ab Attico rege et gigante cognomini separare nolet: velut Phalerus Alconis f. et Butes Teleontis f. Argonautae dicuntur ab Apollonio I 95 sqq., Eunidae gens auctorem Jasonem ferebant (Toepffer, Attische Genealogie p. 181 sqq.). Arctissime vero cum Athmonensium pago Porphyrionis fabula cohaeret, ubi fanum Veneris Uraniae condidisse credebatur (Paus. I 14,6). Itaque non casu sed ratione linguae explicamus, quod recta via *Ἀθμ-ονον* ex Athamantis nomine deducitur, eliso tantummodo altero ᾱ, ut elisum est in 'Salmona' pro Salamona in titulo Olympico IGA 121 comparenti, in 'Atlas' iuxta 'Talaus' et 'Atalanta', 'Brekyn,' ubi e periit, aliis.

PHALERUM Argonautam tetigimus. Is scholio Apollonii I 96 per Chalciopam sororem (de qua Herm. 1888 p. 620 diximus) et parentem Alconem cum Chalcide urbe copulatur:

Ἄλκων ὄνομα κύριον, πατὴρ Φαλήρου. τὸν δὲ Ἄλκωνα Πρόξενός φησιν Ἐρεχθέως· φυγεῖν δὲ αὐτὸν λέγει ἀπὸ τῆς Ἀττικῆς μετὰ τῆς θυγατρὸς Χαλκιόπης εἰς Εὔβοιαν, ἐξαιτοῦντος δὲ τοῦ πατρὸς οὐκ ἐκδοῦναι τοὺς Χαλκιδέας.

Haec cur commemoranda duxerimus infra patescet. Phalero enim MUNICHUM subiungimus. Quem Antoninus Liberalis XIV (fonte usus Ovidiano Metam. XIII 717) Molossorum et vatem et regem Lelantae maritum, Alcandri et Philaei patrem, deorum beneficio cum suis in avem conversum esse scripsit, postquam in latronum manus omnes incidissent. In ora Epiri maritima et insulis adiacentibus longe ante Corinthiorum adventum Euboeenses pedes fixisse monuit recte Wilamowitzius (Philol. Unters. VII 171). Quodsi Phaetho Eretriei pater (Plutarch. Pyrrh. 1) vel Lelanta Molossorum regis uxor adpellatur, haec adventicia elementa genealogica ex historia facillime intellegimus. Lelanticus enim Eretriam inter et Chalcidem ager quanti aestimatus sit, rerum gestarum memoria edocet. Quare ut modo Phalerum portus Attici eponymum cum Chalcide, ita nunc qui cum Lelanto coniungatur Munichiae Atticae heroem esse efficimus. Tales multae inter Atticam Euboeamque relationes proferri possunt: vel Amarysiam Dianam ex agro Eretriensi, ubi praeclaro templo colebatur (Strab. X p. 448), ad Athmonenses Atticos traductam esse constat (Lolling, Mitth. des arch. Inst. V 289), ut alia mittam. Ceterum ALCANDRUM Munichi f. et ALCONEM Phaleri parentem vix recte discernunt mythologi (cf. Herm. 1888 p. 613 sqq.). PHILAEUS, gentis Philaidarum Atticae auctor, quod cum Municho ad Molossos refertur et simul etiam cum Euboeica genealogia copulatur, hoc sane attendendum est. Nolo tamen in re perdifficili nunc diutius immorari.

BACCHI MARINI numen Pagasis Thessaliae per Boeotiam in Atticam usque penetrasse ostendere nuper (Herm. 1888 p. 78 sq.) conati sumus. Quod novis repertis praeclare adiuverunt Kaibelius et Loeschkius, quorum alter Hermippi Phormophororum fragmentum 63 K. (Ath. I 26 d e) monstravit ad Bacchi dona maritima pertinens:

ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ἐξ οὗ ναυκληρεῖ Διόνυσος ἐπ' οἴνοπα πόντον,
ὅσσ' ἀγάθ' ἀνθρώποις δεῦρ' ἤγαγε νηὶ μελαίνῃ.
ἐκ μὲν Κυρήνης καυλὸν καὶ δέρμα βόειον κτλ'.,

Loeschkius alterum vas Atticum figuris nigris insigne Tarquiniis a se anno 1878 apud Braschium examinatum mecum communicavit, quod Bacchum marinum fere eodem modo quo altera pictura l. c. a. me commemorata repraesentat. Ecce Loeschkii pretiosissimi monumenti (quod utinam mox ederetur) descriptio:

Grosse schwarzfigurige Amphora Attischer Fabrik, Ende des VII. Jahrhunderts. Auf beiden Seiten dieselbe Darstellung, nur variirt. In einem grossen Schiff mit zwei Ruderreihen und Thierkopf als Schnabel ist der

bärtige Dionysos gelagert, den Kantharos in einer Hand, einen Rebzweig mit Trauben in der andern. Im Schiff Satyrn und Maenaden, ein Satyr spielt Leier, eine Maenade Doppelflöte, Satyrn rudern.

Ergo iam cognita res est, Bacchum Atticum maritima quoque potestate praeditum fuisse, et in hunc ipsum deum hymnum inter Homericos VII cantatum putamus Attica forma *Διονύσου* juxta epicam *Διωνύσου* memorabilem ideoque iure ad Atticam originem, quidquid contra moliuntur ‚Studia Regimontana' I p. 67 sqq., relatum a Wilamowitzio (Philol. Unters. I p. 225 sq.). Quodsi hymnus ille rei gestae certum locum praetermittit quasi audientibus notum, oram Atticae facile nunc subintellegimus. Quibus in transcursu (ut speramus) absolutis videamus num alia ex Atheniensium religione Bacchica huius rei argumenta consequamur.

Eleutheris ‚urbe Boeotica' dei religionem Pegasus numine divino Athenas secum duxisse scholio ad Aristoph. Ach. 243 praedicatur; ‚Eleutherensem' dicit Pausanias I 2,5:

> *ἐνταῦθα καὶ Πήγασός ἐστιν Ἐλευθερεύς, ὃς Ἀθηναίοις τὸν θεὸν εἰσήγαγεν* (regnante scil. Amphictyone)· *συνελάβετο δέ οἱ τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον ἀναμνῆσαν τὴν ἐπὶ Ἰκαρίου ποτὲ ἐπιδημίαν τοῦ θεοῦ.*

Pegasum equum caelestem et Eleutherensem illum sacerdotem nominis aequalitate casu consociari et ipse credidi, donec in Pagasum nuper incidi Apollineum eundemque religionis Apollineae strenuum propagatorem. Hunc Boeo Delphica carmine celebraverat Paus. X 7:

> *Βοιὼ δὲ ἐπιχωρία γυνὴ ποιήσασα ὕμνον Δελφοῖς ἔφη κατασκευάσασθαι τὸ μαντεῖον τῷ θεῷ τοὺς ἀφικομένους ἐξ Ὑπερβορέων τούς τε ἄλλους καὶ Ὠλῆνα . . . πεποίηκε δὲ ἡ Βοιὼ τάδε·*
>
> *ἔνθα τοι εὔμνηστον χρηστήριον ἐκτελέσαντο*
> *παῖδες Ὑπερβορέων Παγασὸς καὶ δῖος Ἀγυιεύς.*
>
> *ἐπαριθμοῦσα δὲ καὶ ἄλλους τῶν Ὑπερβορέων ἐπὶ τελευτῇ τοῦ ὕμνου τὸν Ὠλῆνα ὠνόμασεν.*

Agyieus heros ex dei cognomine *τοῦ ἀγυιέως* effictus est. Jam vero cum Apollo Pagasis eximie coleretur (Prelleri Myth.[4] p. 204) nec male Pagasaei a mediae Graeciae incolis dicantur ‚Hyperborei': Pagasum pro urbis illius eponymo habendum esse patet. Miramur iure ‚Pagasum' Apollinis venerationem Delphis, Bacchi ‚Pegasum' Athenis instituisse, nihil tamen novaremus, nisi (ut praedixi) cultu Bacchi marini quoque ipsae Pagasae excellerent: de quo l. c. expositum est. Ergo apud Pausaniam et Aristophanis enarratorem (qui tamen pro uno Atthidographi testimonio habendi) ‚Pagasum' pro ‚Pegaso' emendamus. Dictus Eleutherensis Pagasus est ab Eleutherensibus, cum religio Bacchica hanc urbem invasisset. Corruptelae rationem facillime comminiscimur.

Paucis sed idoneis exemplis nobis ostendisse videmur, qua ratione et via originem gentis religionisque Atticae et naturam paullatim ex fabulari historia cognitum iri tandem aliquando speremus. Quae ea voluntate proposuimus, ut sedulos doctosque adulescentes, quibus more solito haec scribimus, ipsa materiae gravitate in hunc incultum studiorum campum evocemus.

Missis fabulis ad litterarum monumenta transeat haec commentatio. Eadem ad veritatem via pervenitur et his quaerendi subsidiis et illis, dummodo consilium semper et indoles scriptorum mythorumque praeter cetera accuratissime indagentur. Atticum scriptorem perantiquum eligemus, qui non male intellegitur tantum sed acerbis etiam criticorum remediis crudelissime vexatur, eum nimirum qui quinto saeculo vergente ‚de Atheniensium republica‘ libellum pseudoxenophonteum composuit. Breviter quid velimus edisseremus nec nisi necessario poscimur ulla de controversis rebus occasione litigandi admissa. Hunc igitur hominem arte disputandi quam dicunt dialectica eruditum fuisse eo perspicitur, quod scriptionis singulas argumentandi rationes inter se non semper nexas alteram post alteram ordine non modo consequi voluit, sed saepe certis quoque dicendi formulis dialecticorum more signavit perfectas et quodammodo circumsaepsit: quod acuendae et declarandae orationis dispositioni plurimum inservire concedendum est. Res scitu digna ad naturam viri cognoscendam nec minus libello interpretando ni fallor profutura. Conligam additarum vel repetitarum formularum exempla:

> *περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας, οὐκ ἐπαινῶ διὰ τόδε, ὅτι ταῦθ' ἑλόμενοι εἵλοντο τοὺς πονηροὺς ἄμεινον πράττειν ἢ τοὺς χρηστούς. διὰ μὲν οὖν τοῦτο οὐκ ἐπαινῶ* (I 1).
>
> *τῶν δούλων δ' αὖ καὶ τῶν μετοίκων πλείστη ἐστὶν Ἀθήνησιν ἀκολασία, καὶ οὔτε πατάξαι ἔξεστιν αὐτόθι οὔτε ὑπεκστήσεταί σοι ὁ δοῦλος· οὗ δ' ἕνεκά ἐστι τοῦτο ἐπιχώριον, ἐγὼ φράσω.* Sequitur argumentatio, quae I 15 ita comprehenditur: *διὰ τοῦτ' οὖν ἰσηγορίαν καὶ τοῖς δούλοις πρὸς τοὺς ἐλευθέρους ἐποιήσαμεν, | καὶ τοῖς μετοίκοις πρὸς τοὺς ἀστούς, διότι δεῖται ἡ πόλις μετοίκων διά τε τὸ πλῆθος τῶν τεχνῶν καὶ διὰ τὸ ναυτικόν. διὰ τοῦτο οὖν καὶ τοῖς μετοίκοις εἰκότως τὴν ἰσηγορίαν ἐποιήσαμεν* (I 10—12). Duo huius dicendi generis exempla eadem periodo continentur quorum alterum inde incipitur ubi hastam posui: de metoecis enim sermo antea iniectus nondum fuerat.

Cetera nolumus exscribere, sed satis habebimus legentibus numeros editionis secundae Kirchhoffianae indicasse: p. 8 l. 13 sqq., p. 9 l. 14 — p. 10 l. 20, p. 23 l. 1—9, p. 23 l. 17 — p. 24 l. 7. Commonstrant haec omnia, quam non solum singula cogitata ratiocinando scriptor accurate perfecerit sed acriter quoque significaverit perfecta, et cum alia in mentem eiusdem fere aetatis scripta tum declamationes Gorgianas revocant

nuper a me defensas (Herm. 1887 p. 566 sqq.) et quosdam etiam libros pseudhippocrateos, quos bene explanavit Ilberg in Studiis pseudhippocrateis p. 20 sqq. Quae cum omnia plana sint, praepeditum sentimus capitis tertii initium. Ubi nova reipublicae bene conservandae ratione inde repetita quod in comoediis nobiles irrideri sinantur, populares non item, hanc ratiocinationem ita conclusit II 19:

> *φημὶ οὖν ἔγωγε τὸν δῆμον τὸν Ἀθήνησι γιγνώσκειν μέν, οἵτινες χρηστοί εἰσι τῶν πολιτῶν καὶ οἵτινες πονηροί, γιγνώσκοντες δὲ τοὺς μὲν σφίσιν αὐτοῖς ἐπιτηδείους καὶ συμφόρους φιλοῦσι, κἂν πονηροὶ ὦσι, τοὺς δὲ χρηστοὺς μισοῦσι μᾶλλον. . . . καὶ τοὐναντίον γε τούτου ἔνιοι ὄντες ὡς ἀληθῶς τοῦ δήμου τὴν φύσιν οὐ δημοτικοί εἰσιν. δημοκρατίαν δ'ἐγὼ αὐτῷ μὲν τῷ δήμῳ συγγιγνώσκω — αὑτὸν γὰρ εὖ ποιεῖν παντὶ συγγνώμη ἐστίν — ὅστις δὲ μὴ ὢν τοῦ δήμου εἵλετο ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει οἰκεῖν μᾶλλον ἢ ἐν ὀλιγαρχουμένῃ, ἀδικεῖν παρεσκευάσατο καὶ ἔγνω, ὅτι μᾶλλον οἷόν τε διαλαθεῖν κακῷ ὄντι ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει ἢ ἐν ὀλιγαρχουμένῃ. καὶ περὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας τὸν μὲν τρόπον οὐκ ἐπαινῶ· ἐπειδήπερ δ'ἔδοξεν αὐτοῖς δημοκρατεῖσθαι, εὖ μοι δοκοῦσι διασῴζεσθαι τὴν δημοκρατίαν, τούτῳ τῷ τρόπῳ χρώμενοι ᾧ ἐγὼ ἀπέδειξα.*

Distinxit inter optimates et populum scriptor, ac populum ipsum iterum in vere populares divisit eosque, qui re quidem et externa condicione essent populi, natura ipsorum tamen et animi sententia[1]) non item (*ὄντας ὡς ἀληθῶς τοῦ δήμου, τὴν φύσιν οὐ δημοτικούς*). Populo ignosci dixit democratiam posse, optimatibus, si vivere in populari civitate mallent quam in oligarchica, nullo pacto coniveri. Et Atheniensium quidem rempublicam, quamvis forma perversa esset, tamen tutissime sic administrari, ut ipse antea exposuisset. Haec ultima de Atheniensibus in illo nexu aut cassa sensu sunt aut explicationem flagitant ex proxime antecedentibus sumendam. Quam quaerenti designasse id praecipue scriptorem patescit, cur ne in Atheniensium quidem republica recte vivere eos existimaret qui non populares essent, i. e. oligarchos: nullam enim ibi munita tam tuto civitate spem novarum rerum relinqui. Postrema igitur verba (*καὶ περὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας — ᾧ ἐγὼ ἐπέδειξα*) solummodo ad id argumentum respiciunt, cui prope adnectuntur, a comoediae libertate depromptum, estque eorum opinio aspernanda qui hoc quod indicavi enuntiato totum inde ab initio librum manifesto concludi censent. Qui vel eo redarguuntur, quod post III 1 scriptor non desinit (ut par fuisset) sed pergit *περὶ τοῦ εὖ τὴν Ἀθήνησι δημοκρατίαν διασῴζεσθαι* ratiocinari:

> III 1. *ἔτι δὲ καὶ τάδε τινὰς ὁρῶ μεμφομένους Ἀθηναίοις, ὅτι ἐνίοτε οὐκ ἔστιν αὐτόθι χρηματίσαι τῇ βουλῇ οὐδὲ τῷ δήμῳ κτλ'.*
>
> III 2. *ἔπειτα δὲ δίκας καὶ γραφὰς ἐκδικάζειν κτλ'.*
>
> ibid. *τὴν δὲ βουλὴν βουλεύεσθαι πολλὰ μὲν περὶ πολέμου κτλ'.*

---

[1]) Recte ita Cobetus (Nov. Lect. p. 740) a Rettigio probatus (Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1877 p. 404 sq.).

Nunquam vero opinor prolata aut credita tam incredibilis fuisset sententia, nisi III 1 scriptor usus esset verbis initio I 1 consimilibus:

> *περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας, οὐκ ἐπαινῶ διὰ τόδε, ὅτι ταῦθ' ἑλόμενοι εἵλοντο τοὺς πονηροὺς ἄμεινον πράττειν ἢ τοὺς χρηστούς. διὰ μὲν οὖν τοῦτο οὐκ ἐπαινῶ. ἐπεὶ δὲ ταῦτα ἔδοξεν οὕτως αὐτοῖς, ὡς εὖ διασῴζονταί ⟨τε⟩ τὴν πολιτείαν καὶ τἆλλα διαπράττονται ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τοῦτ' ἀποδείξω.*

Horum verborum similitudinem III 1 iterasse de industria scriptorem nos quoque arbitramur, non tamen (ut praediximus) quo terminaret libellum solemniter, sed quia cogitatio simillima ex illo de comoedia argumento disserenti facile occurreret.

Libelli principium attigimus, in quo diutius commorandum est, ut qua obscuratur difficultatis speciem interpretando auferamus. Interpretes ad unum omnes bipartitam esse scriptionem propterea volunt, quod de duabus partibus in praefatiuncula aperte dictum esse extremis verbis visum est:

> *ὡς εὖ διασῴζονταί ⟨τε⟩ τὴν πολιτείαν καὶ τἆλλα διαπράττονται, ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τοῦτ' ἀποδείξω.*

Bipartitae vero argumentationis per totum libellum nullum indicium deprehenditur ne tenuissimum quidem, nec unquam deprehensum est (etsi operam nonnulli impense dederunt), sed suffecit scriptori rationum inter se non semper nexarum enumeratio. Hinc tanquam ex radice mala ea coniecturarum seges pullulavit, quae de 'pristina' quam dicunt libelli forma et origine hodie circumferuntur. Sentio ego aliter. Una et continua argumentorum series et non bipartita quandoquidem cernitur, elucet hoc certe opinionum genere, quod in traiciendo et lacerando scribendi ordine consistit, esse sine ulla dubitatione prorsus abstinendum. Velut I 13

> *τοὺς δὲ γυμναζομένους αὐτόθι καὶ τοὺς μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας καταλέλυκεν ὁ δῆμος, ⟨οὐ⟩ νομίζων τοῦτο οὐ καλὸν εἶναι, γνοὺς ⟨δὲ⟩ ὅτι οὐ δυνατὸς αὐτός ἐστι ταῦτα ἐπιτηδεύειν*[1])

[1]) *δυνατὸς* Orelli et Bake : -ά | *αὐτός ἐστι ταῦτα* Wachsmuthius, *αὐτὸς ταῦτά ἐστιν* Cobetus : *ταῦτά ἐστιν* codices.

non iis, quibus *τὸ τὴν δημοκρατίαν εὖ διασῴζεσθαι*, sed quibus *τὸ τἆλλα εὖ διαπράττεσθαι τὸν δῆμον* probatur, exemplis adnumerandum est: nulla enim ratione hic scriptor exitio reipublicae nec potuit vertere, si exerceri corpora et animos perpoliri sivisse populum Atheniensem putasset, nec vertit, sed quod exspectatur dixit statim sequentibus

> *⟨οὐ⟩ νομίζων τοῦτο οὐ καλὸν εἶναι, γνοὺς ⟨δὲ⟩ ὅτι οὐ δυνατὸς αὐτός ἐστι ταῦτα ἐπιτηδεύειν.*

Bene igitur agere ait populum quod res per se bonas et utiles tamen excolere nollet. Quae cum ita sint, aliter interpretanda praefatio est et temptata nova via audendum, num forte rectius aestimata *τέ-καί* particularum copulatione offendendi

causa removeatur. Nec secernunt tantum adpositis his Graeci inter se disiuncta, sed vehementi linguae impetu partiri etiam quod simplex sit et in se cohaerens consuerunt, ut tamen totum quiddam illis partibus effici non desinatur. Morem late patentem sed vix satis perspectum grammaticis cum alii tum Hauptius locis ad hunc quoque libellum idoneis declaravit (Opusc. I 263 sq.): ex quorum penu haec duo promemus. Sophocles sic de ‚omnibus' servis loquitur (Antig. 1108):

ἴτ' ἴτ' ὀπάονες
οἵ τ' ὄντες οἵ τ' ἀπόντες, ἀξίνας χεροῖν
ὁρμᾶσθ' ἑλόντες εἰς ἐπόψιον τόπον.

Socrates in Platonis Philebo p. 66a a Vahleno (ind. lect. Berol. 1879 p. 1 sq.) tandem recte explicato ita rationes suas comprehendit:

πάντῃ δὴ φήσεις, ὦ Πρώταρχε, ὑπό τε ἀγγέλων πέμπων καὶ παροῦσι φράζων, ὡς ἡδονὴ κτῆμα οὐκ ἔστι πρῶτον οὐδ' αὖ δεύτερον, ἀλλὰ πρῶτον μέν πῃ περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον καὶ πάντα ὁπόσα χρὴ τοιαῦτα νομίζειν τὴν ἀίδιον ᾑρῆσθαι φύσιν.

Ubicunque Protarchum Socrates ait et per nuntios et ad praesentes verba facientem illud de voluptate adfirmare posse, non quo utramque viam ingrederetur, sed ‚cum hi duo modi sint inter se contrarii, quibus quid communicare cum aliis possis his copulatis id indicat, haec adeo esse vera ut quocunque modo et apud quosviscunque asseverare fidenter liceat. Ea enim vis est copulatorum contrariorum, non ut utrumque per se spectetur, sed ut coniunctis duobus una efficiatur sententia universa'. His ad libelli ‚de republica Atheniensium' initium, unde profecti sumus, accommodatis duas orationis partes dirimi a scriptore censemus, non quo tractentur altera post alteram inter se diremptae, sed ut inesse in continua illa unaque quae subsequatur de republica per populum bene administrata argumentatione duo rationum genera, quorum alterum ad conservandam vel firmandam democratiam spectet, alterum sententia latiore omnino bene rem gerere populum nec ulla mereri vituperia ostendat. Et omnino totum rationum ordinem (solo excepto libelli fine III 12 et interpretatione et emendatione ut putamus sanabili) apte procedere cum summa acutorum interpretum dissensione adfirmamus, sed pedem sistimus quia tantae materiae qua conveniret copia persequendae et otium nunc quidem deest et voluntas.

Decurso spatio in ipso scriptionis exitu graviter nos commoveri profitemur. Quid enim? Ingrati videbimur vitio humano et in artis nostrae heroes parum verecundi! Age quae nostra sit animi sententia ut solemus nullo deterriti pudore falso exprimamus. De scriptorum Graecorum origine et compositione tanta qua postularetur accuratione cum sero quaeri coeptum esset, in hoc litterarum genere neminemdum praestitisse Adolfo Kirchhoffio clariora contendimus: praeminet ille certo et invicto iudicio ac propria perspicuitate scribendi excellit et acie admirabili. Aemulemur,

Commilitones, tot tanti exempli virtutes pio studio et indefesso! Quod hortantibus cavendum nobis paene inviti hoc unum censemus, ne de vestro ipsorum iudicio praepropere cedatis Kirchhoffii gravitate depulsi. Pace dixerim viri venerandi nimiam esse saepe et captiosam disputandi subtilitatem et rebus insuper non ab omni parte sollertia pari expensis haud raro periniquam. Haec sententia diuturno usu concepta iis vel maxime probatur, quae de disponendo vel truncando potius hoc libro luculenter nec sine ingenti scriptoris emolumento nihilo secius falso disseruit. Explanare nos quoque nonnulla ad hunc libellum pertinentia ratione et tutum interpretis tramitem insistentes conati sumus, ne quae integro corpore cohaerere existimaremus mutilari pergerent, cum praesertim quae errata a Kirchhoffio nobis viderentur vel ab adversariis propagari quotquot novimus demiraremur. Tantum vel in malis rebus magni viri valet auctoritas.

Dabamus Gryphiae, Id. Iun. 1889.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

D. O. ZOECKLER, P. P. O.

